generali; ut tamen conducit ad bonum electorum, modo jam explicato, mediatè & imperativè à prædestinatione procedit, subindeque est ejus effectus, non quidem elicitus, sed imperatus.

53. Objicies secundò: Omnis effectus prædestinationis debet esse gratia; imò & gratia per Christum: Sed permissio peccati non est gratia, sed gratiæ denegatio; nec est ex meritis Christi, cùm Christus non meruerit quod gratia prædestinatis subtraheretur, sed è contra quod illis daretur ad vitanda peccata: Ergo permissio peccati non est prædestinationis effectus.

34. Respondeo distinguendo majorem: Omnis effectus prædestinationis debet esse gratia, vel intrinsecè & ratione sui, vel extrinsecè & ratione illius ad quod ordinatur, concedo Majorem. Ratione sui, & intrinsecè, semper, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego consequentiam. Nam licet peccati permissio, ratione sui, & intrinsecè gratia non sit, sed gratiæ carentia, nec prout sic possit esse effectus meritorum Christi, prout tamen extrinsecè ordinatur, ut prædestinatus humilior resurgens, perseveret in gratia, est extrinsecè gratia, & ex meritis Christi. Unde sub hac ratione potest à nobis in oratione postulari, sicut fuit postulata à Christo, qui omne præmium meritorum suorum, omnesque nostræ prædestinationis effectus, à Patre postulavit. Quamvis aliqui ex nostris Thomistis non improbabiliter dicant, illud inter Christum & nos intercedere discrimen, quod voluntas Christi non erat ipsa quæ peccatum erat commissura, & ideo potuit postulare permissionem peccati, absque eo quod ex eo possit inferri quod in peccato permisso sibi complacuerit: voluntas autem nostra peccatum est commissura, unde si illius permissionem peteret, in peccato, virtualiter saltem & indirectè, sibi complaceret.

55. Ex dictis colligitur, permissionem peccatorum in reprobis, esse effectum prædestinationis electorum, cùm ad illorum bonum & fructum spirituale conducat. Nam ut discurrit S. Thomas super cap. 8. epist. ad Roman. lect. 6. Sicut mala naturalia quæ accidunt in universo, non semper ordinantur ad bonum illorum quibus accidunt, benè tamen ad bonum universi: ita malum culpæ, seu permissio illius, non semper eligitur in bonum ejus cui permittitur peccatum, benè tamen in bonum nobilissimarum partium universi, scilicet electorum, juxta illud Proverb. 11. *Qui stultus est serviet sapienti*, quia nimirum (inquit S. Doctor) *etiam mala peccatorum, in bonum justorum cedunt.*

56. Dico ultimò, substantiam prædestinati esse effectum prædestinationis illius.

Probatur: Quidquid aliquo modo ad prædestinationem conducit, si fiat ex intentione gloriæ, est effectus prædestinationis, saltem imperatus: At substantia prædestinati conducit ad prædestinationem, & aliàs fit ex intentione gloriæ, quæ est finis prædestinationis: Ergo est effectus illius, saltem imperatus. Major constat, licet enim ut aliquid sit effectus prædestinationis elicitus & immediatus, requiratur quod ad illam ordinetur ut medium ad finem; ut tamen sit effectus illius imperatus & remotus, sufficit quod ad prædestinationem aliquo modo conducat, si fiat ex intentione gloriæ, quæ est finis prædestinationis. Minor etiam quantùm ad primam partem evidens est, nam substantia prædestinati est causa efficiens actuum quibus homo justificatur, & promeretur gloriam; est etiam causa efficiens ipsius gloriæ, & visionis beatificæ, quam producit mediante intellectu, per lumen gloriæ elevato; illa etiam potest esse motivum per modum objecti, gratiarum actionis pro creationis & conservationis beneficio: Ergo substantia prædestinati ad prædestinationem conducit.

57. Quod verò fiat ex intentione gloriæ, ut asserit secunda pars minoris, sic ostenditur. Non repugnat ab intrinseco quod substantia prædestinati fiat ex intentione gloriæ, & aliàs sic fieri congruit extensioni prædestinationis in providendo, & ostendit maximum amorem Dei erga electos, & curam specialem quam de illis habet: Ergo de facto substantia prædestinati fit ex intentione gloriæ. Consequentia patet, Antecedens etiam, quoad secundam partem, manifestum est, probatur verò quantùm ad primam. Primò, quia ex vi decreti quo electus fuit Christus, ut sit filius Dei naturalis, fuit factus Christus ut homo, qui est prædestinationis subjectum, ut docent Theologi in tractatu de Incarnatione, dum agunt de prædestinatione Christi. Item ex vi decreti ordinantis hominem ad beatitudinem naturalem posset fieri homo, si conderetur in natura pura: Ergo ex vi decreti efficaciter ordinantis ad gloriam, potest fieri, saltem imperativè, substantia subjecti ad gloriam ordinati. Secundò, si aliqua repugnantia in hoc esset, maximè quia substantia prædestinati, cùm sit gloriæ subjectum, debet ad illius intentionem supponi, & consequenter ex vi illius non potest fieri: At hæc ratio nulla est: Ergo hoc non repugnat. Major continet præcipuum fundamentum adversæ sententiæ. Minor verò sic ostenditur. Id quod est prius in genere causæ materialis, potest esse posterius in genere causæ finalis: Ergo etsi substantia prædestinati sit subjectum gloriæ, & consequenter prior illâ, in genere causæ materialis, potest ab illa in genere causæ finalis causari, subindeque ex intentione ad gloriam imperativè procedere. Consequentia patet, Antecedens variis exemplis declaratur, & probatur. Potentia vitalis, licet sit principium effectivum & receptivum sui actus, potest nihilominus fieri ex intentione illius, & ab eo in genere causæ finalis dependere. Sanitas quam medicus appetit ægroto, est prior illo in genere causæ finalis, ipse verò æger cui desideratur, præcedit in genere causæ materialis & subjectivæ. Christus in genere causæ finalis est prior genere humano, & toto ordine naturæ, & gratiæ, unde ad Coloss. 1. appellatur *primogenitus omnis creaturæ*; & tamen genus humanum, ut redimendum, subindeque ordo naturalis, Christum præcedit in genere causæ materialis, in ratione finis *Cui*, ut communiter docent nostri Thomistæ in tractatu de Incarnatione: Ergo pariter, licet substantia prædestinati sit subjectum gloriæ, quam prædestinatio respicit ut finem, poterit ex illius intentione procedere, seu imperari. Quorum omnium ratio est, quia non repugnat mutua inter duo causalitas, in diverso genere causæ, nam, ut communiter docent Philosophi, *causæ sunt sibi invicem causæ*, & mutuam inter se causalitatem ac dependentiam exercent. Ex quo solvuntur præcipua Adversariorum fundamenta, ut constabit ex mox dicendis.

58. Objiciunt ergo primò: Prædestinatio hominum, eorum substantiam productam, vel saltem prævisam supponit: Ergo eam non causat. Consequentia patet, Antecedens probatur. Substantia prædestinati per providentiam naturalem producitur: Sed providentia naturalis antecedit supernaturalem, sicut natura præcedit gratiam: Ergo prædestinatio substantiam prædestinati supponit. Simile argumentum potest fieri de voluntate antecedente

dente salvandi omnes homines, hæc enim antecedit prædestinationem, seu voluntatem illam specialem, quâ Deus discernit prædestinatos à reprobis: Sed voluntas illa generalis salvandi omnes homines, supponit eorum substantiam & esse, cùm supponat voluntatem eos creandi: Ergo prædestinatio substantiam prædestinati productam, vel saltem prævisam supponit.

59. Verùm ad hæc ex principiis jam statutis facilè respondetur, voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, & providentiam naturalem, antecedere prædestinationem, in genere causæ materialis, & esse posteriores illâ, in genere causæ finalis, quod sufficit ut substantia prædestinati sit prædestinationis effectus, ut jam ostensum est, & constat in sententia communi Thomistarum, & aliorum, qui docent auxilia sufficientia esse in prædestinatis effectus prædestinationis, non obstante quod illa sint effectus providentiæ communis supernaturalis, quæ prior est providentiâ prædestinativâ: Ergo similiter substantia prædestinati, quamvis sit effectus providentiæ naturalis, & hæc prædestinatione sit prior, poterit nihilominus esse prædestinationis effectus.

60. Eadem solutio adhiberi debet simili argumento quod proponunt Adversarij, nempè quod prædestinatio nostra, cùm sit posterior prædestinatione Christi, quæ dependet à prævisione culpæ originalis, illam supponit; peccatum verò originale supponit substantiam omnium prædestinatorum. Respondetur enim, prædestinationem nostram supponere peccatum originale, in uno genere causæ, scilicet materialis, non tamen in omni genere causæ, quia præcedit tale peccatum, seu permissionem illius, in genere causæ finalis.

61. Objiciunt secundò: Ut aliquid sit prædestinationis effectus, requiritur ut sit medium respectu gloriæ, ut constat in vocatione & justificatione, quæ idcirco dicuntur prædestinationis effectus, quia ad gloriam, ut media ad finem ordinantur: Atqui substantia prædestinati non est medium ad gloriam, sed duntaxat illius subjectum: Ergo non est prædestinationis effectus.

Respondeo distinguendo majorem: Ut aliquid sit prædestinationis effectus, elicitus, requiritur ut sit medium respectu gloriæ, concedo majorem. Ut sit effectus duntaxat ab ea imperatus, nego majorem. Ad hoc enim sufficit quod ad gloriam aliquo modo conducat, & fiat ex intensione illius, ut ex supra dictis patet.

62. Objiciunt tertiò: Effectus prædestinationis debent esse ex meritis Christi, ille enim omnes effectus nostræ prædestinationis promeruit, ut docent Theologi in tractatu de incarnatione: Sed substantia prædestinati non est ex meritis Christi, nam juxta Augustinum epist. 105. *Christus, non pro justis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur*: Ergo non est prædestinationis effectus.

63. Respondeo, concessa majori, distinguendo minorem: substantia prædestinati nudè sumpta, & intra limites puræ naturæ considerata, non est ex meritis Christi, concedo. Ut ordinatur ad gratiam & gloriam, & ad illam efficaciter transmittitur, nego. Unde ad locum Augustini dicendum est, illum solùm intendere, hominis generationem, intra limites puræ naturæ consideratam, non esse ex meritis mortis & passionis Christi; non negare tamen illam, ut ordinatam, & transmissam ad gratiam & gloriam, cadere sub meritis illius. Addo multa deputari meritis Christi, propter quæ tamen non dicitur mortuus; meruit enim sibi Christus gloriam corporis, & sui nominis exaltationem; meruit etiam illuminationes & gaudia accidentalia Angelorum, ut ostendemus in tractatu de incarnatione, & tamen non dicitur mortuus propter gloriam corporis, & sui nominis exaltationem, nec propter illuminationes & gaudia Angelorum; quia particula *propter* denotat finem præcipuum mortis & passionis Christi; illa verò non sunt fines præcipui mortis ejus, sed solùm justificatio, & gloria electorum.

64. Ex dictis colligitur, bona omnia naturalia esse effectus prædestinationis imperatos, nam quamvis fiant ex providentia naturali, per prædestinationem tamen ordinantur ad salutem & bonum electorum: juxta illud Apostoli, *omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

CAPUT III.

De reprobatione.

1. DAri in Deo reprobationem, seu decretum aliquod efficax & immutabile, quo ab æterno aliquos homines & Angelos voluit à gloria excludere, de fide certum est, cùm hoc expressis Scripturæ testimoniis constet, præsertim ex capite 9. epistolæ ad Roman. Unde in Concilio Valentino can. 3. dicitur: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Id etiam probat D. Thomas hîc qu. 23. art. 3. hoc discursu: *Prædestinatio est pars providentiæ: ad providentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus quæ providentiæ subduntur; unde cùm per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab isto fine deficere, & hoc dicitur reprobare.*

2. Addit S. Doctor in 1. ad Annib. dist. 40. art. 3. reprobationem necessariam esse, ut perfectè ostendatur humani arbitrij defectibilitas, & gratiæ necessitas. Non enim perfectè ostenderetur libertas arbitrij creati, si non posset homo finaliter peccare, & in impœnitentia finali mori. Similiter gratiæ necessitas non perfectè manifestatur, nisi ostendatur necessitas doni perseverantiæ finalis, quæ non potest ostendi, nisi permittendo quod aliqui homines peccent, & in peccato moriantur, & consequenter à consecutione vitæ æternæ deficiant. Fuit etiam necessarium, Deum aliquos reprobare, ut inde attributorum suorum gloria magis resplendeat & coruscet, præsertim justitia ejus vindicativa, in eorum punitione; patientia, ac longanimitas, in illis tandiu sufferendis, ejusque bonitas & misericordia erga electos, quæ eos à reprobis discrevit, & ad gloriam destinavit. Quam rationem tangit Apostolus ad Roman. 9. his verbis: *Volens Deus ostendere iram* (id est justitiam vindicativam) *& notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Demum id exigit pulchritudo universi, quæ ex diversitate creaturarum, & bonorum ac malorum admixtione consurgit. Quam etiam rationem idem Paulus insinuat, dum 2. Timoth. 2. scribit: *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia, quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam.*

3. Quantùm ad essentiam & quidditatem reprobationis,

bationis, docent communiter Theologi, eam non dicere in Deo solam negationem prædestinationis, sed positivum actum, tum quia Apostolus nominibus importantibus actum positivum, eam explicat ad Roman. 9. *Deus cujus vult misereatur, & quem vult indurat. Iacob dilexi, Esaü verò odio habui.* Tum etiam, quia si reprobatio in sola negatione consisteret, Angeli & homines merè possibiles, & nunquam futuri, æquè dici possent reprobati, ac illi qui ex existentibus damnantur; quandoquidem non solùm isti, sed etiam illi, à Deo non sunt prædestinati. Addo quod Deo perfectior modus agendi tribuendus est: Sed perfectior modus agendi est per actum positivum, quàm per solam carentiam vel suspensionem actûs: Ergo reprobatio in actu positivo, & non in sola negatione prædestinationis consistit.

4. Quod si quæras, quisnam sit ille actus positivus, in quo reprobatio essentialiter consistit? Respondeo esse actum imperij, quo Deus imperat permissionem peccati, seu denegationem gratiæ efficacis ad illud vitandum, & alia media ad finem reprobationis, manifestationem scilicet divinæ justitiæ, efficaciter conducentia. Reprobatio enim est pars objectiva providentiæ, sicut prædestinatio: Providentia autem consistit essentialiter in actu imperij ordinantis media ad consecutionem finis à provisore intenti, ut cap. 1. §. 2. ostensum est: Ergo & reprobatio. Connotat tamen, & præsupponit actum voluntatis, qui dicitur odium reprobi, seu ejus ejectio & exclusio à gloria; sicut prædestinatio similiter connotat & supponit actum voluntatis, qui vocatur dilectio vel electio prædestinatorum ad gloriam. His præmissis, superest solùm nobis hîc agendum de causis & effectibus reprobationis, de quibus tres graves difficultates ac controversiæ, breviter hîc resolvendæ sunt.

§. I.

Reprobatio, prout dicit exclusionem à gloria, tanquam beneficio indebito, non habet pro motivo prævisa demerita, seu peccata actualia; benè tamen, prout includit voluntatem puniendi & infligendi pœnam.

5. Ita D. Thomas in 1. ad Annib. dist. 41. qu. unica art. 3. ubi hæc scribit: *Voluntati divinæ de salute hominis, duplex voluntas videtur opponi: scilicet voluntas de contradictorio, secundùm quam vult aliquem non salvari, & voluntas de contrario, secundùm quam vult aliquem damnare. Prima quidem voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm salus hominis non sit debita naturæ humanæ, non enim requiritur ratio, quare non dem alicui cui dare non debeo. Sed voluntas damnationis respicit rationem voliti ex parte damnati, cùm damnatio ex debito inferatur.*

Probatur prima pars hujus assertionis, primò ex verbis illis Apostoli ad Roman. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni vel mali fecissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Ubi S. Thomas lectione 2. ait quod *sicut dilectio de qua hic loquitur, pertinet ad æternam Dei prædestinationem, ita odium de quo hic loquitur, pertinet ad reprobationem, quâ Deus reprobat peccatores, nec est dicendum quod ista reprobatio sit temporalis.*. Per quod excluditur responsio quorundam Recentiorum, dicentium hæc verba non intelligi de dilectione pertinente ad æternam prædestinationem, nec de odio ad æternam reprobationem spectante; quia existimant Esaü non fuisse reprobatum à regno cœlorum, sed solùm à temporali hæreditate repulsum.

6. Verùm Authores illi ad temporalia solùm attendunt, nec advertunt Apostolum hæc verba Prophetæ, ad mysticum & spiritualem sensum elevasse, eaque assumpsisse ad probandum Deum absque ullius injuria quosdam secundum propositum elegisse ad gloriam, & aliis tantum beneficium voluisse negare, ante prævisa illorum merita vel demerita; quem sensum fusè prosequitur Augustinus epist. 105. qu. 2. ad Simplic. & alibi sæpè. Undè an Esaü fuerit reprobatus à vita æterna, vel solùm à temporali hæreditate repulsus, nihil refert ad propositum; cùm in hoc non consistat vis Apostolici discursus, sed Apostolus Jacob & Esaü in typum & figuram omnium electorum & reproborum assumat.

Addo quod idem Apostolus ad Hebræos 12. Esaü inter peccatores & impœnitentes numerat, quod non leve argumentum est, ipsum non solùm à temporali hæreditate, sed etiam à cœlesti regno fuisse exclusum. Nec obest quod aliqui cũ Theophilacto & Caïetano hoc interpretentur de pœnitẽtia apud Isaac patrem suum, & de reprobatione ab ejus benedictione: Nam D. Chrysostomus homil. 31. in epist. ad Hebræos, & D. Thomas super cap. 12. ejusdem epistolæ, aliique SS. Patres communiter, Esaü non veram pœnitentiam erga Deum habuisse existimant.

7. Potest insuper eadem prima pars hac ratione suaderi: Deus est supremus gloriæ dominus, nullique hominum gloria debetur: Ergo absque ullius injuria, potest efficaciter decernere, illam quibusdam conferre, & aliis denegare absque eo quod ex parte hominum, meritum vel demeritum propriæ voluntatis supponatur. Consequentia patet, quia in hoc ratio supremi dominij consistit, posse scilicet facere de re sua quidquid voluerit, absque ullius injuria. Unde quia prima gratia nulli hominum est debita, potest Deus, absque ullius injuria, eam aliquibus dare, & aliis denegare, ut concedunt Adversarij: quidni ergo idem dici poterit de gloria? Hanc rationem insinuat D. Thomas loco supra relato, & hîc art. 5. ad 3. his verbis: *In his quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult, plus vel minùs, dummodo nulli subtrahat debitum, absque præjudicio justitiæ. Et hoc est quod dicit Pater familias Matth. 20. Tolle quod tuum est, & vade, an non licet mihi quod volo facere?* Et qu. 6. de verit. art. 2. ad 9. *Hoc ipsum* (inquit) *quod est non habere debitum, est sufficiens ratio non donandi.*

8. Respondent Adversarij, quod licet Deus, ut supremus gloriæ dominus, absolutè potuerit ita se gerere, & gloriam reprobis, ante prævisa eorum demerita, ut beneficium indebitum denegare; non tamen, ex suppositione elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, & voluntatis antecedentis, quâ vult omnes homines salvos fieri; quia hac elevatione & voluntate supposita, gloria fit debita homini, non debito justitiæ, vel connaturalitatis, sed debito congruentiæ.

9. Sed contra primò: Supposita hac ordinatione, & voluntate, absque ulla incongruentia, potest Deus velle efficaciter aliquibus gratiam efficacem negare, nullis eorum prævisis demeritis: Ergo pariter, adhuc illa voluntate & ordinatione supposita, potest sine ulla incongruentia, nullis hominum prævisis demeritis, velle aliquos excludere à gloria, ut beneficio indebito. Consequentia patet, Deus enim

enim non est minùs dominus gloriæ, quam gratiæ efficacis; nec gloria, ex vi hujus voluntatis, & ordinationis, fit magis debita, quam gratia efficax: Ergo sicut istam potest absque ulla incongruentia, velle efficaciter quibusdam negare, nullis illorum prævisis demeritis; ita & illam, non obstante elevatione naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, & voluntate antecedente salvandi omnes homines.

10. Contra secundò: Dato quod ex vi illius elevationis, & voluntatis antecedentis, debita esset gloria aliquibus hominibus vagè & in communi, non esset tamen debita istis aut illis in particulari: Ergo dato quod illa elevatione & voluntate supposita, Deus non potuerit velle efficaciter omnes homines à gloria excludere, ut à beneficio indebito, potuit tamen ante omne demeritum velle efficaciter his aut illis in particulari, gloriam ut beneficium indebitum denegare, etiam ante prævisa demerita.

11. Secunda pars assertionis, quæ ait reprobationem, prout includit voluntatem puniendi & infligendi pœnam, demerita & peccata prævisa supponere, manifesta est; repugnat enim æquitati divinæ, quod decernat punire & infligere ullam pœnam, nisi propter culpam prævisam. Unde Augustinus lib. 3. contra Julian. cap. 8. *Bonus est Deus, justus est Deus; potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis damnare, quia justus est.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

12. Objicies primò contra primam partem assertionis: Voluntas excludendi aliquos efficaciter à gloria, ante prævisa illorum demerita, videtur incompossibilis cum voluntate antecedente salvandi omnes homines, quam Apostolus 1. Thimoth. 2. asserit esse in Deo; quomodo enim eorum salutem sincerè vult Deus, quos ante prævisa demerita à salute excludit?

13. Respondeo negando Antecedens, sicut enim pius & justus judex potest sincerè velle vitam hominis, quem tamen tradit de facto suspendendum; & sicut mercator volens projicere merces in mare, tempestate suborta, ad vitam salvandam, verè & sincerè vult illas servare, voluntate tamen inefficaci & simplicis complacentiæ. Item sicut in opinione Adversariorum, Deus homini dans auxilium sufficiens, & gratiam incongruam ad aliquẽ actum, simplici complacentia & voluntate antecedenti, illi desiderat gratiam congruam & efficacem, & tamen ante ullam culpam prævisam, vult efficaciter illam denegare; cùm primæ gratiæ negatio, seu prima peccati permissio, in illorum sententia, præcedentis peccati, pœna non sit, sed ex simplici Dei voluntate procedat. Demum sicut Deus voluntate antecedenti vult omnes parvulos salvos fieri, & tamen, nullis suppositis vel prævisis demeritis, quæ in eis nulla sunt, vult aliquos excludere à gloria, eos nimirum quibus non vult sacramentum baptismi applicari. Ita pariter, licet velit aliquos efficaciter excludere à gloria, ut est beneficium indebitum naturæ Angelicæ & humanæ, ut ostendat se esse supremum gloriæ dominum, nullique hominum vel Angelorum gloriam deberi; desiderio tamen inefficaci, & simplici complacentia, cadente super illorum salutem, secundùm se consideratam, & ut præcisam à circunstantiis defectibilitatis liberi arbitrij, manifestationis suorum attributorum, pulchritudinis universi, supra explicatis, verè & sincerè omnibus salutem exoptat.

14. Dices, saltem crudelitatem sapit aliquem excludere à regno cœlesti, sine aliqua culpa præsupposita, cùm talis exclusio sit maximum malum quod homini inferri potest: Ergo hoc non debet Deo attribui, cùm scriptura præcipiat sentire de Deo in bonitate.

Respondeo primò, hoc argumentum facilè solvi; juxta dicenda §. sequenti, ubi ostendemus reprobationem negativam, seu voluntatem excludendi reprobos à gloria, supponere culpam originalem prævisam, & ab illa ut à causa motiva pendere.

Respondeo secundò, abstrahendo pro nunc ab hac sententia; negando absolutè Antecedens, non enim dedecet divinam bonitatem, nec præ se fert aliquam crudelitatis notam, alicui non velle conferre beneficium indebitum, ut patet in Rege denegante alicui Episcopatum, vel aliam dignitatem, ei non debitam, & in Deo denegante primam gratiam congruam, vel efficacem, quæ nulli debetur. Gloria autem est beneficium indebitum naturæ humanæ & Angelicæ, etiam ad ordinem supernaturalem elevatæ, ut supra ostensum est.

15. Objicies secundò: In prædestinandis & reprobandis hominibus & Angelis, debemus Deo concedere connaturaliorem modum operandi, nisi oppositum nobis ex revelatione constet: Sed modus connaturalior operandi in reprobandis hominibus & Angelis, est ut Deus neminem velit à gloria excludere, ante prævisionem demeritorum; & aliunde oppositum ex scriptura revelatum non est: Ergo dicendum est, Deum neminem velle à gloria excludere, ante prævisionem demeritorum.

16. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, nam ut capite præcedenti, agendo de gratuita electione prædestinatorum, arguebam: Sicut in consequendo fine connaturaliùs incipit agens ab intentione illius, quam ab electione mediorum; ita in deficiendo à fine, connaturaliùs incipitur à voluntate defectus ab illo, quam à voluntate defectus à mediis.

17. Objicies tertiò contra secundam partem: Corona, ut corona, non minùs dependet in executione à meritis, quam pœna, ut pœna, à demeritis: At non obstante illa dependentia, corona potest priùs intendi, quam merita prævideantur; ut constat ex dictis capite præcedenti: Ergo pariter exclusio hominum à gloria, ut habet rationem pœnæ, poterit à Deo intendi, priusquam peccata seu demerita prævideantur.

18. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem: Ratio discriminis est primò, quia quod electio ad gloriam, etiam ut coronam, fiat ante prævisa merita; nulli ex hoc infertur injuria; benè tamen, si decretum infligendi pœnam antecederet præscientiam peccati. Secũdò, quia corona in ordine intentionis, non dependet à meritis, sed causat illa; cùm enim sit bonum per se; & non occasionatum, potest intendi independenter ab alterius prævisione: Pœna autem, quia bonum occasionatum est, nec exequi, nec intendi potest, nisi occasione culpæ prævisæ. Unde Damascenus lib. 2. fidei cap. 26. *Deus ex seipso movetur ad miserendum, ad puniendum, non nisi ex nostra præsupposita culpa.* Et Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Deus ex seipso bonus est; ex nobis justus*, justitiâ nempe vindicativa.